

DE TYPOGRAPHIA.

Hinc etiam artifices peragunt solennia Festa,
Atque tibi laudes post duo secla litant.
Duret ut augustum monumen venerabilis artis,
Atque inventori debitus extet honos,
Summe Deus tanti nobis usura perennet
Doni, sed pessum cunctus abusus eat!
Sive quis obscœnis nugis turpaverit illud
Dogmate seu falso contemerare velit.

Henricus Höpffnerus, D.

SÆpè à diversis diverso tempore easdem
Artes profuere, est autor Aristoteles.

Chalcographia rei est testis, gens semina cujus

* Sinarum sparsit secla per alta retrò.

Præterfluxerunt sed jam vix Secula bina,

Ars ubi perfectè tanta diem intuita est,

Qvis fando laudes cantaret carmina Divæ,

Quæ libros mundi suppeditat populis?

Hæc vigeat posthac, posthac quoque serviat isthac

Et CHRISTO & THEMIDI, tum MEDICÆ & SOPHIÆ.

* Ita Osorius narrat, sicut de ipso Lau-
rentius Beyerlinck in Theatr. sub
tit. Typographia fol. 235. refert,
inquiens: Hieronymus Osorius

lib. II. de rebus Emmanuelis, omnem de nimio in se patriamque
suam amore suspicionem removens, non Lusitaniæ suæ, neque genti
aut populo, qui Lusitanico sceptro pareat: sed remotissimæ SINA-
RUM nationi tam mirabilis inventi laudem, eamque non nuper na-
tam, sed pervetustam, peneque canam tribuit. In libris, ait, descri-
bendis & rerum memoria propagandâ, æneis formis uti solent SINÆ,
quarum usus adeò antiquus apud illos est, ut qui primus eam artem ex-
cogitavit, ignoretur.

*Ananias Weber / Theol. Doct.
& P. P.*

ARtes dum multas invenit cana vetustas,
Commoda quæ nobis multa tulere satis,
Mirum, Chalcographam quòd non invenerit artem,
Libros immensâ quæ modò mole parit.